



15/15  
1763,1

EXERCITATIO JVRIS  
DE  
LEGE COMMISSORIA  
PRAESIDE  
MARTINO GOTTLIEB PAVLI  
J. V. D. JVR. ET HIST. PROF. PVBL. ORD.  
ET ATHEN. INSPECT.  
DIE X. MART. A.R.S. MDCCCLXIII.  
IN AVDTORIO MAXIMO  
AD DISCEPTANDVM PROPOSITA

AB  
CHRISTIANO ZWANTZIGER, HVNGAR.  
L. L. C. ET ALVMNO FISCHERO-FERBERIANO  
ATQVE VORGEDINGIANO.

GEDANI

TYPIS THOMAE JOANNIS SCHREIBERI,  
SENATVS ET ACADEM. GYMNASII  
TYPOGRAPHI.



INCLVTAE  
REIPVBЛИCAE GEDANENSIS  
**MAGNIFICO SENATVI**

ILLVSTRI  
PERMAGNIFICIS, MAGNIFICIS, GENEROSIS,  
MAXIMEQUE STRENVIS  
S. R. M.

B V R G G R A F I O  
P R A E S I D I  
V I C E - P R A E S I D I  
P R A E C O N S V L I B V S  
C O N S V L I B V S  
S Y N D I C O

P R A E N O B I L I S S I M I S ,  
C O N S V L T I S S I M I S , A M P L I S S I M I S  
S P L E N D I D I S S I M I  
P R I M A R I A E C I V I T A T I S S C A B I N A T V S  
M E M B R I S ,

**SENIORI, CON-SENIORI  
ASSESSORIBVSQVE**

C E T E R I S ,  
I V S T I T I A E A R B I T R I S G R A V I S S I M I S .

VIRIS

VIRIS  
SVMME REVERENDO  
CONSULTISSIMO EXPERIENTISSIMO  
EXCELLENTISSIMIS DOCTISSIMIS  
AMPLISSIMI  
PROFESSORVM COLLEGII  
MEMBRIS

PRAECEPTORIBVS SVIS HONORATISSIMIS

F A V T O R I B V S  
TANDEM, AC PROMOTORIBVS OMNIBVS

HANC DISSERTATIONEM ANIMO  
PROMTO, GRATO, ET  
DEVOTO DICAT

CHR. ZWANTZIGER.



Q. D. B. V.  
EXERCITATIO JVRIS  
DE  
LEGE COMMISSORIA.

§. I.

*De Lege Commissoria in genere, & quid eo nomine continetur?*



icturus de Legi Commissoria, id est, Juris materia, tum ob rerum, qua abundat, varietatem commendabili, tum ob utilitatem, quam prae stat in vita ciuili, sumمام, cognitu maxime necessaria, erit omnino operae pretium statim in limine hujus libelli paucis praemittere & inuestigare, Legis Commissoriae appellatione quid continetur, atque non, nisi jactis his veluti futurae diligentiae fundamentis ulterius progredi & ostendere, quid Jura nostra de ea constituant? Fuerunt autem, qui Commissoriam Legem inter eas retulerunt leges, quas populus Romanus olim senatorio magistratu rogante in comitiis constituit, sed perperam judicarunt omnes, ita qui sentiunt. Legis enim appellatione, vti alias saepe, ita etiam hoc praeferunt loco nil aliud significatur, quam pactum, atque nimiae fortassis anxiaequre foret diligentiae, si multis argumentis testimoniosisque veterum id, quod hodie nemo facile negabit, probare vellem. Quam ob rem, quae ab Justiniano

A

no

## DE LEGE COMMISSORIA.

no a) aliisque juris auctoribus b) *Lex* dicitur *Commissoria*, ea ipsa ab aliis quam frequentissime appellatur *Pactum Commissorum* sensu prorsus eodem, & ab ipso Justiniano pactis annumeratur: c) errant proinde, qui hanc nostram conventionem *pactum* dicunt *legis commissoriae*, quamuis, qui ita dicunt, exemplo se & auctoritate Innocentii III. P. R. tueri possint d). Atque sic intelligimus, spero, quid in rubrica *Legis* appellatione continueatur, progrediamur proinde, &, quid sibi velit, quod additur, vocabulum: *Commissoria*, videamus. Vix autem opus est, admoneri, istud vocabulum descendere ab *committere*, cuius, cum plures sint atque diuerse significaciones, dixisse satis est, hoc loco committere idem esse ac perdere, aut facere aliquid, quo committimus, ut aliquid pereat †). His autem praefunctionis haud adeo difficile esse videtur, in genere quid sit *Lex*, vel *Pactum Commissorum*, definire. Continetur nimirum eo nomine nihil aliud, quam conditio per pactum contractui adjecta, qua existente is, qui non stat promissis, mulctam, in quam consenit, incurrit. Est itaque lex vel pactum commissorum ex eorum numero, quae in Jure nostro ciuili dicuntur *adjecta*, & quae, quibuscumque etiam contractibus adjiciantur, suos habent effectus, sed, si ex Jure Ciuiili Romano eos aestimemus, non semper eosdem, atque alios, si stricti juris contractibus, alios, si bona fidei negotiis adjiciantur; alios, si in continenti, alios, si ex interuallo adjiciantur; alios denique, si sint detrahentia pacta, alios, si sint adjicientia e). Etenim si qua vila in

- a) Vid. Rubr. Tit. III. Libr. XVIII. Digestorum.
- b) Julius Paullus Recept. Sentent. Libr. II. Tit. XIII.
- c) Vid. Rubr. Tit. XXXV. Libr. VIII. Codicis.
- d) Cap. Significante X. de Pignoribus.
- † Cf. Joan. Aug. Ernesti V. C. Claus Ciceron. voc. committere.

Conf. Cornel. van Bynekers-hoeck Dissert. de Pactis Juris stricti contractibus in continenti adjectis, Opuscul. T. I. pag. 89. edition. Halens. an. 1729. Gerard. Noodt de Pactis & Transactionibus Cap. X. XI. XII. Oper. Tom. I. pag. 341. sqq. edition. Colonensi. an. 1732.

## DE LEGE COMMISSORIA.

3

in re, in hac certe vel maxime a simplicitate Juris naturalis & gentium recedunt Romanorum leges moresque. Ceterum tamen hujus loci non esse videtur, de his rebus omnibus multa praefari, atque idem iste Juris civilis locus tot implicatus est tantisque difficultatibus, ut, quae dicenda sunt, in libello hoc, qui est de lege commissoria, comprehendendi non possint & explanari. Mittimus itaque hoc loco has Juris Romani subtletates omnes, idque fortassis eo magis, quo magis constat, eas in unum omnes hodie, tanquam alienas ab aequitate & simplicitate naturali, vsu fori non frequentari. Ejusmodi conditio autem, qua existente is, qui non stat promissis, mulctam, in quam consenit, incurrit, & olim & hodie pluribus solet adjici contractibus, quare Lex commissoria, generatim sic dicta, plures sub se comprehendit species. Sed in Jure tamen nostro conditio, quae pignoribus praesertim, atque emtionibus venditionibusque adjicitur, commissoria, proprie & speciatim lex dicitur vel pactum commissorium. Ad exemplum itaque Justiniani de Lege Commissoria doctrinam hoc in libello ita pertractabimus, ut in prima veluti dissertationis nostrae sectione de commissoria in pignoribus lege sumus dicturi, in sectione secunda vero de eodem pacto, emtionibus venditionibus adjecto.

## §. II.

*Quid sit Pignus, quid Lex Commissoria in pignoribus? ostenditur.*

Prima igitur dissertationis hujus veluti sectio est de Lege Commissoria in pignoribus. Sed priusquam de ea, quae dicenda sunt, tradi possunt & explicari, pauca de pignore, & quid eo nomine significetur, praemittenda esse videntur. Est autem pignus res creditoris in securitatem crediti data, ea lege, ut, soluto debito, eadem in specie restituatur. Igitur ad pignus rite constitendum accedit, necesse est, rei traditio, eamque ob causam, contractus, quo constituitur pignus, re iniri vel contrahiri, item realis dicitur, ea autem conuentio, qua debitor creditori suo aliquam saltim obligat rem, sed absque illius traditione, non contractus adpellatur pignoratus,

A 2

sed

## DE LEGE COMMISSORIA.

4

sed nuda conuentio, pactum hypothecarium, ex quo Jure ciuili nulla nascitur actio, quamvis eam postea dederit Praetor, aequitate motus, prouti videbimus infra. Quamvis autem absconde creditor tradendum sit pignus, nihil tamen fecius debitor semper manet dominus, neque creditor pignoratius per hanc traditionem illius consequitur dominium, f) quam ob causam vel maxime differt pignus ab mutuo. Sed in pignore non tantum non transfertur in creditorem dominium, ne transfertur quidem in eum usus rei oppignoratae g), & propterea differt pignus ab commodato atque precario. Nil igitur amplius consequitur creditor per pignoris traditionem, quam solam illius nudamque possessionem & custodiem in securitatem debiti, eamque retinet ac tuetur, usque dum debitum fuerit solutum; qua ex parte differt pignus ab deposito, utpote quod sine villa cunctatione reddendum est, quandounque deponenti placuerit. Quamvis autem creditor pignoratius in securitatem crediti possessionem consequatur custodiem rei oppignoratae, olim tamen atque ante introductam actionem Seruanam & quasi Seruanam nulla in Jure ciuili profita erat in rem actio, creditor aduersus tertium posseorem competens, cum possessio rei oppignoratae apud alium esse cecepisset, idque vel ideo, quod non poterat creditor rem suam dicere, quamvis pignori traditam. Quam ob causam olim creditores, non contenti ista, quam pignus nudum praestabat, securitate, quam frequentissime fiduciam committebant. Erat autem fiducia, cum res aliqua sumenda pecuniae mutuae gratia creditori non tradebatur tantum, prouti in pignore siebat, sed ei insuper etiam vel mancipabatur, vel in jure cedebatur, & sic quodammodo vendebatur, addito tamen pacto de retrouendendo, creditorque adeo illius rei non custodiem tantum possessionemque nudam, sed statim ab initio potius ejus dominium ipsum consequebatur h). Ceterum tamen quam maxime

f) l. 12. pr. D. de Distract. Pi-  
gnor. l. 35. §. 1. De de Pi-  
gnoratit. Actione.

g) l. 54. D. de Furt.

h) Conf. Jacob. Gothofredus ad  
Codicem Theodos. Libr. III.  
Tit. II. Cap. I. Tom. I. pag.

253.

## DE LEGE COMMISSORIA.

5

maxime solemnis apud veteres Romanos erat haec fiducia ejusque contrahendi modus, atque non, nisi interueniente mancipatione vel cessione in jure, addito tamen pacto de remanicipando pignore soluto debito, siebat. Quoniam vero hominibus admodum erat incommodum, in quibuscumque rebus omnes adhibere solemnitates, quas in mancipatione aut cessione in jure interuenire oportebat; & praeterea non semper, nec ubique copia erat quinque testium, ciuium Romanorum puberum, praeter libripendem, ut mancipatio, aut Praetoris Praefidisue, vt in jure cessio fieret; tandem vero etiam mancipatio in rebus duntaxat mancipi, & inter ciues Romanos, Latinosque colonarios & Junianos obtinebat, non etiam in rebus nec mancipi, neque inter peregrinos: Praetor tandem his omnibus difficultatibus molestissime, quibus contractus fiduciae erat obnoxius, eo Edicti sui capite medicinam paravit, quo promisit seruare hypothecas omnes nuda conuentione constitutas, primum quidem in inuestis tantum, inductis, illatis in praedium rusticum, sed deinde etiam in rebus omnibus i), modo essent obligatae conuentione ejus, cuius in bonis essent. k). Quemadmodum igitur contracta, vel cessione in jure, vel mancipatione, fiducia, creditor rei hoc modo sibi traditae consequebatur dominum, atque igitur etiam rem istam tanquam verus illius dominus a quocunque possessore vindicare poterat; ita, vi hujus edicti praetorii, etiam si res aliqua nudo tantum pacto esset obligata, creditor tamen, non illius quidem dominium, sed auctoritate beneficioque Praetoris jus aliquid in ista re, atque, vi hujus nouiter introducti juris in re, l) facultatem consequebatur, rem sibi obligatam actione vel Seruiana vel quasi Seruiana a quocunque possessore repetendi, quamdiu debitum non esset solutum, & per creditorem non

A 3 stetisset,

253. Item Anton. Schultini-  
gii Jurisprudent. Ante Justin.  
ad Julii Pauli Recept. Sent.  
Libr. II. Tit. XIII. not. 1.  
pag. 282. 83.

i) §. 7. J. de Action. l. 17. §. 2.  
D. de Pact. l. 4. D. de Pigno-  
rib. & Hypoth.  
k) l. 6. C. Si aliena res pignor.  
l) l. 19. D. de Damno infecto.

fletisset, quo minus id fieret m). Introductio autem ab Praetore hoc jure novo, minor postea fuit fiduciae, qua huc usque vñ fuerant Romani, necfistas, ideo tamen ea non statim, aut prorsus abit in desuetudinem, sed durauit potius diu post, atque forsitan ad tempora vsque Justiniani Imp. praeterea eadem factum est occasione, vt pignus, quod olim, nisi accederet traditio, creditorque illius haberet possessionem custodiampque, nullius plane erat effectus in vita ciuili, ab hoc tempore in duas abiit species, pignus scilicet proprie sic dictum & hypothecam, quas inter, Marciānus quidem ait; n) tantum nominis sonos differre, atque, quantum ad actionem hypothecariam vel quasi Seruianam attinet, dixit quod res est o), alias autem, summam inter eas & maximam intercedere differentiam, Gerardus Noodt luculenter atque abunde probauit p); tandem, cum olim de pignore, nisi intercessisset fiducia, nulla fuerit in rem actio aduersus tertium possessorem, eodem Praetoris editio prodita & introducta est ejusmodi in rem actio, eoque ipso pignus, quod haec tenus inter Jura, quae vñs potissimum hodiernus *Jura dicit in re*, nullum habuerat locum, in vni dignitatempque Juris in re euectum est. Hac autem ratione creditoribus eorumque securitati beneficio Praetoris sic satis erat prospectum. Sed foeneratores, olim certe atque apud Romanos vt plurimum vel maxime duri & acerbi, non contenti semper erant nominibus certis & bonis, id est, talibus, quibus per leges tuto credi poterat, imo praeterea potius hoc etiam efficere curabant, vt mutuatinia pecunia sua die absque omni mora redderetur ab debitoribus. Quoniam vero hoc interdum apud optimos etiam debitores fallit, ne exinde damnum, imo potius, si fieri posset, lucrum sentirent foeneratores, per legem, vel pactum commislorum, quod pignoribus adjiciebant, efficere conabantur. Esta autem ejusmo- di

m) I. 19. C. de Vsur. conf. Ger-  
ard. Noodt Comment. ad  
Digesta Lib. XX. Tit. I. Oper.  
Tom. II. pag. 337.

n) I. 5. §. 1. D. de Pignorib. &  
Hypothec.  
o) §. 7. J. de Actionib.  
p) Observat. Libr. II. Cap. VII.  
Oper. Tom. I. pag. 283. 84.

## DE LEGE COMMISSORIA.

7

di Commissoria in pignoribus lex: Conuentio, inter debitorem & creditorem pignoratitum inita, qua conuenit, vt, cessante praefitulo die in solutione debitore, res oppignorata statim & penitus sit commissa, creditorque eam jure dominii sibi habeat, sine noua deinceps venditione. Jacobus Cujacius, vir ceteroquin summus atque jurisconsultissimus, hanc commissoriam in pignoribus legem cum ista ante dicta veterum Romanorum fiducia prorsus eandem fuisse existimat, q) atque tanta semper & olim vbique fuit, & adhuc hodie est Cujacii auctoritas, vt haec illius sententia fere in vulgus manarit. Nihilo tamen secius Jacobum nostrum hac in re per errorem lapsum esse, omnesque, qui illius auctoritatem sequuntur, in errorem induxisse, abunde probavit vir summus Jacobus Gothofredus r), atque satis superque euincunt differentiae insignes, quae intercedunt inter contractum fiduciae, atque commissoriam in pignoribus legem. Etenim per fiduciam, contractui pignoratio adjectam, pignus mediante mancipacione vel cessione in jure ita ab debitore tradebatur creditori, vt hie statim illius fieret dominus s), quando vero pactum commissorium pignori adjiciebatur, absque fiducia tamen, dominium pignoris remanebat apud debitorem, cessante vero eo in solutione, creditor rem oppignoratam commissam habebat, ejusque consequebatur dominium. Praeterea creditor, contracta fiducia, dominus quidem siebat rei oppignoratae & traditae, sed non proprie, perfecte & incommutabiliter, vt potest translato quidem in eum dominio, ast non & abalienato eo prorsus; etenim soluto sua die debito, vi pacti adjecti, remancipabatur ab creditore pignus atque sic redibat ad dominum, quod erat ante, suum; cessante autem in

q) In Notis ad *Julii Paulli Recept. Sentent. Libr. II. Tit. XIII. Oper. Tom. I. p. 432.*  
item ad l. 81. D. de Contrah. Emt. Vendit. Tom. II. pag. 319. Editionis Parisiens. a. 1614.

r) In Comment. ad Cod. Theodos. Tom. I. Libr. III. Tit. II. Cap. I. pag. 252, 53. sqq. sqq.  
Vid. *Jul. Paullus Recept. Sentent. Libr. II. Tit. XIII. §. 3.* apud Schultingum loc. cit. pag. 284.

in solutione debitore, rem oppignoratam creditor non retinebat, tanquam commissam, quantius ea etiam esset pretii, sed hactenus eam retinebat, ut jure suo fine villa denunciatione eam vendere posset, ita tamen, ut debitor, venditione perfecta, aduersus creditorem de superfluo, quod Hyperocham vocat Tryphonius t) haberet actionem u). Ait si pignori pactum commissorum adjiciebatur, cessante debitore in solutione, res seu pignus creditoris simpliciter & abrupte, nullo justo pretio inito, nulla denunciatione praeuia, nulla hyperocha praefixa, committebatur, acquirebatur. Tandem commissoram in pignoribus legem singulari constitutione damnauit Constantinus M. minime vero fiduciam, durauit potius iste contractus diu post, prout ipse Jacobus fatetur Cujacius x) atque ex Ambrofio, Codice Theodosiano, Sidonio & ex Legibus Longobardorum probauit, atque fortassis eo denum tempore abiit in desuetudinem, quo sustulit Justinianus differmina rerum mancipi & nec mancipi y) & Jus Quiritarium z). Differunt itaque vel maxime inter se inuicem contractus fiduciae atque lex pignorum commissoria. Ceterum quamuis fiducia male confundatur cum commissoria, atque hanc illa non contineat, hoc tamen negari non potest, olim fiduciam quoque sub lege commissoria dari potuisse, datamque fuisse vere, prout monuit atque probauit, quem supra laudaui, Jacobus Gothofredus, quem quoad hanc doctrinam consuluisse & legisse juuabit vel maxime.

## §. III.

t) I. 20. D. Qui potior, in pignor. I. hypoth. adde Jac. Cujacii Observat. IV. 25.

Sent. Libr. II. Tit. XIII. loc. cit. p. 282.

u) Cf. Jul. Paullus Recept. Sentent. Libr. II. Tit. XIII. §. 1. & §. loc. cit. p. 283. 85.

y) Vid. Tit. tot. C. de Usucap. transformanda & sublata differentia rerum mancipi & nec mancipi.

x) Not. I. ad Jul. Paulli Recept.

z) Vid. Tit. tot. C. de Nudo Jure Quirit. tollendo.

## §. III.

*Commissoriam pignorum legem tanquam asperam damnauit  
Constantinus M. Theodosius Junior, Justinianus.*

In Pandectis nostris nulla deprehenditur lex, nullum fragmentum, in quo commissoriae hujus legis fiat mentio, aut unde possit cognosci, probata ea olim, nec ne? fuerit. Ea propter autem valde dubia hodie & controuersa & plena dissensionis inter viros doctos est quaestio, vtrum Jure veteri & Digestorum licita fuerit commissoria in pignoribus lex, nec ne? Atqui ejusmodi inter ajentium negantiumque disfidia suspensae quaestiones vt plurimum quidem hodie ad liquidum deduci haud ita facile possunt, neque etiam ego in re tam obscura certi quid definire audeo. Nihilo tamen secius, quantum quidem conjectura augurari & adsequi possumus, eorum admodum probabilis mihi esse videtur sententia, qui commissoriam in pignoribus ante Constantini M. tempora apud veteres Romanos damnatam non fuisse existimant. Etenim qui extra corpus Justinianeum adhuc hodie supersunt Julii Paulli Sententiarum Receptarum ad filium Libri quinque singularem continent titulum, qui inseribitur: *De Lege Commissoria* a). Equidem probe scio, in ipsis sententiis, vel si mauis, paragraphis, ex quibus hodie constat iste titulus, ipsius commissoriae legis nec volam apparere nec vestigium. Sed hoc integratitudine sanitatis inscriptionis, quam omnes agnoscunt harum Sententiarum editiones, nil nocet. Quis enim est, qui ignoret, istarum Sententiarum Receptarum libros non integros ad nos peruenisse, & superesse ex iis hodie tantum ea, quae Aniano, Gotho, placuit inde excerpere, desumisse autem cum ex iis non nisi ea, quae foro inseruire posse putabat b). Inseruire autem temporibus Aniani amplius foro non poterant ea, quae dicto loco scripserat Julius Paullus de Commissoria Lege, vtpote quae diu ante per Constantinum M. & per Co-

B

dicem

a) Libr. II. Tit. XIII.

tent. Libr. I. not. 1. loc. cit.

b) Vid. Anton. Schultingii notas  
ad Jul. Paulli Recept. Sen-

pag. 213.

dicem Theodosianum penitus erat abrogata. Locutus itaque est Julius Paullus absque omni dubio dicto in titulo de lege commissoria, atque in specie de commissoria pignorum lege. Quae enim ex eo titulo adhuc hodie supersunt fragmenta, ad doctrinam de pignoribus &, quae pignoribus adjungebatur olim, fiducia pertinent; quare quae de commissoria lege hoc titulo scripta fuerunt, atque perierunt, ad commissoriam pignorum legem omnia pertinuisse videntur. Sed locutus est Julius Paullus eo loco de commissoria pignorum lege, tanquam de re licita; atque ita ut existimem, ipsa suadet dicti tituli inscriptio, & consuetus iste veterum his in rebus loquendi modus. Etenim in Pandectis extat titulus, qui inscribitur: *de Lege Commissoria*, c) emtionis scilicet venditionis, & quae in isto titulo leguntur veterum Jecorum fragmenta atque praecpta juris, commissoriam venditionum legem tanquam rem licitam adumbrant, e contrario autem tam in Codice Theodosiano d) quam Justinianeo e) exstant tituli, qui de commissoria pignorum lege, tanquam illicita & damnata loquuntur, quorum tamen neuter simpliciter inscribitur: *De Lege Commissoria*, sed in Codice Theodosiano inscriptio tituli est: *de Commissoria rescindenda*, in Codice Justinianeo autem: *de Pactis pignorum*, & *de Lege commissoria in pignoribus rescindenda*. Cum igitur Julius Paullus titulum istum, de quo nobis sermo est, inscriperit simpliciter: *de Lege Commissoria*, omessa, quae in duobus istis codicibus additur, voce: *rescindenda*; admodum est probabile, dixisse Paullum eo loco de commissoria pignorum lege, tanquam re licita, atque hanc conuentiōnem Jure veteri & Digestorum apud Romanos damnatam non fuisse. Ita autem, ut existimem, conjectura quidem me dicit, sed ejusmodi, quam ipsa ista Constantini M. constitutio, de qua mox plura, adauget atque confirmat. Nimirum commissoria pignorum lex Juri naturae nequaquam quidem simpliciter aduersatur f), sed tamen ejusmodi est, qua

c) Libr. XVIII. Tit. III.

d) Libr. III. Tit. II.

e) Libr. VIII. Tit. XXXV.

f) Conf. Samuel. de Puffendorf  
Jus Nat. & Gent. Libr. V.  
Cap. X, §. XIV.

## DE LEGE COMMISSORIA.

II

qua foeneratorum voracitas ad utilitatem suam saepissime turpiter abutitur. Miseri enim debitores, fluctuantes inter spem, consulendi rebus suis, & metum, amittendae occasionis pecuniae mutuae ab foeneratoribus sumenda, per hos facili negotio inducuntur & coguntur, non tantum ut res suas pretiosissimas & tales, quae valore suo mutuam pecuniam ut plurimum altero tanto superant, pignori dent, verum etiam ut, dummodo eliciant, qua indigent, pecuniam, in hanc duram & asperam legem, qua ob non solutum sua die debitum, dominio rei suae oppignoratae excidunt, non sine summo rei suae familiaris damno consentiant. Quo ipso quam saepissime fit, ut debitores, quibus res est angusta domi & curta iupellex, quique proinde non semper tempore praestituto mutuam pecuniam reddere possunt, rebus suis possessionibusque pretiosissimis per creditores suos priuentur prorsus, ne data quidem, aut restituta iisdem hyperocha, seu, vti loquuntur vulgo, plurivalentia. Haec autem hujus commissoriae legis asperitas cum olim apud Romanos indies cresceret magis magisque, neque jam vnu tantum aut alter debitorum hac conventione laboraret, sed eorum potius plurimi, ne dicam omnes, quoniam creditores haud amplius aliter, quam sub hac lege, mutuam dare pecuniam vellent: Constantinus M. omnem hujus commissoriae pignorum legis memoriam abole-re decreuit, eumque in finem celeberrimam istam edidit & promulgauit constitutionem, quam tam Theodosius junior g) quam Justinianus h) nobis seruauit his verbis: *Quoniam inter alias captiones praecepue Commissoriae (pignorum) legis crescere asperitas, placet infirmari eam, & in posterum omnem ejus memoriam aboleri. Si quis igitur tali contractu laborat, bac sanctione respiret, quae, cum praeteritis, praesentia quoque depellit, & futura prohibet. Creditores enim, remissa, jubemus recipere, quod dederunt. Concordat vtriusque Imperatoris Codex quoad haec celeberrimae hujus constitu-*

B 2

tionis

- g) In Codice Theodos. Libr. III. h) l. vlt. C. de Paet. Pignor. & de  
Tit. II. cap. vn. apud Jacob. legge Commis. in pigu. re-  
Gothofredum Tom. I. p. 251. scind.



tionis verba legitima, praeterquam quod Justinianus ab initio ait: Quoniam inter alias captiones praecipue commissoriae *pignorum* legis crescit asperitas & q. s. r. Sed cum Codex Theodosianus tam ex antiquiore Joannis Sichardi editione i), quam ex recentiore Jacobi Gothofredi istud *pignorum* prorsus ignorant; absque omni dubio hoc vocabulum addidit Tribonianus, ideo tamen non reprehendendus. Constantinus enim M. hac sua in constitutione omnino loquitur de lege commissoria in pignoribus, atque in pignoribus tantum. Jacobus quidem Cujacius Imperatorem ea lege contendit commissriam tam in pignoribus damnasse, quam in venditionibus k), Claudius contra Salmasius 1) istam constitutionem non ad commissorię in pignoribus, sed in venditionibus tantum pertinuisse, atque posteriora illius verba hoc modo scripta fuisse existimat: creditores enim reamissa jubemus recipere *premium*, quod dederunt. Sed inuita veritate Cujacius aequo ac Salmasius haec omnia dicunt faciuntque. Erenim vocabulum: *premium*, quo vnicē nititur Salmasius, teste Jacobo Gothofredo m), nuspiciāt, neque in vllis Codicis Theodosiani editionibus, neque in Codice Justiniano. Deinde ea lege *credidores* ab Constantino M. jubentur, re amissa, recipere i.e. retro accipere, quod dederunt, quae voces, teste codem Gothofredo n), proprie de mutua*titia* pecunia dicuntur, de emtione venditione non item. Tandem lex commissoria ab legis latore *captio* dicitur, cuius *asperitas* indies *crescebat* magis magisque, quaque miseri debitores plurimum olim *laborabani* & strangulabantur, quae omnia de commissoria pignorum lege dici possunt, minime vero de commissoria in venditionibus. Corraunt proinde omnia ea, quae de hac Constantini M. lege perperam tradiderunt olim Cujacius atque Salmasius, viri ceteroquin summi & eruditissimi, atque celebris ista constitutio non, nisi de commissoria in pignoribus rescindenda

- i) Libr. III. Tit. II. fol. 25. b.      l) De Modo *Vsurarum* Cap. XIV.  
 k) Ad l. 81. D. de Aſt. Empt.      p. 610. sqq.  
 Vendit. Oper. Tom. II. p. m) Loc. cit. Tom. I. pag. 255.  
 519. 20.      n) Loc. cit. Tom. I p. 252.

denda loquitur. Ceterum per omnem istam constitutionem ejusmodi vius est legislator dicendi genere, ut hac lege non tam jus vetus renouasse, quam potius jus plane nouum introduxisse videatur. Captionem quidem nominat commissoria pignorum legem, atque asperam & acerbam captionem, tantum autem abest, ut eam olim iam damnatam fuisse dicat, ut potius asperitatem illius indies creuisse magis magisque contendat. Abrogat proinde atque infirmat omnes ejusmodi conventiones, omnemque earum memoriam prorsus abolet, ita, ut prouidentiam suam, vimque adeo hujus suae constitutionis in tria diffundat tempora, etenim: *quaecum praeteritis, inquit, praesentia quoque depellit, & futura prohibet.* Itaque ad praeterita etiam facta reuocanda est haec Constantini M. constitutio, cuius temporis praeteriti haud opus fuisse nominatim facere mentionem, nisi commissoria pignorum lex olim licita fuisse, atque legislator, ob asperitatem summam istius captionis, ipsius reipublicae interesse existimat, hac lege non futuris tantum dare formam negotiis, verum eam quoque nominatim ad praeterita reuocare o). Hanc autem Constantini M. de Commissoria rescindenda constitutionem Theodosius junior deinde Codici suo inferi curavit; quo ipso ea non tantum veluti renouata, sed etiam per confirmationem & promulgationem Theodosiani Codicis in Oriente per Theodosium juniorem, in Occidente autem per Valentinianum III. per omne, qua qua eo tempore patuit, imperium Romanum vim juris auctoritatemque obtinuit p). E Codice Theodosiano translatis hanc constitutionem Justinianus in Codicem suum repetitae praelectionis, vt itaque illius auctoritas denuo hac ratione fuerit confirmata, atque commissoria in pignoribus lex in Jure novo Justiniane aequa prohibita sit & damnata, ac ea fuerit inde ab temporibus Constantini M. Taceo Jus Graeco-Romanum atque libros Basilicorum, vtpote, qui nullam hodie vim legum, auctoritatemque in rebus liti-

B 3

busque

o) I. 7. C. de Legib. & Conflit.  
Princip.

p) Conf. Jacob. Gotthofredi Pro-

legom. Cod. Theodos. Cap.  
III. pag. CXXXVIII. sq.

busque disceptandis nullam habent, quibus tamen constitutio ista, non minus ac in Jure Justinianeo, confirmata est. q.)

§. III.

*Commissoriam in pignoribus legem improbant Jus Pontificium, Jus Feudale Longobardorum, mores Germanorum hodierni.*

Hactenus Juris Romani, tam antiquioris, quam recentioris & Justinianei de commissoria in pignoribus lege tradidimus decreta; quibus, quantum hoc loco fieri potuit, expostis, ad Jura recentiora Canonicopontifícia, Feudalia Longobardorum, atque Germanica hodierna progredimur, visuvi, quid haec Jura recentiora de ea constituant, quidque moribus nostris praui rectique geratur. Quamuis autem imperium Romanum in occidente jam inde ab morte Valentiniani III. fere desierit atque tandem ab barbaris gentibus prorsus fuerit occupatum, nihilo tamen secius Jacobus jam iam Gothofredus r) probavit, Codicem Theodosianum per Gallias & Hispanias sub Wisigothis & Burgundionibus, & Francorum regibus primae stirpis, vim juris auctoritatēmque suam retinuisse. Deinde, Justinianum, constat, Italiam atque Siciliam, Gothorum dominatu liberatam, iterum ditionis Romanae fecisse, insimul autem has terras corporis Juris, a se editi, necessitate obstrinxisse. Et quamuis postea Longobardi in Italia infederunt, nihilo tamen secius, non solum in Exarchatu, sed etiam in ceteris prouinciis, dominationi Longobardorum subiectis, Jus Justinianeum auctoritatem retinuit suam, vel propterea, quod Longobardi, ad exemplum ceterarum barbararum gentium, prouinciis populisque, ab se subiectis, veteres leges & jura sua reliquerunt. Neque etiam postea, cum a Francis eorumque rege Carolo M. debellati Longobardi, Italiaeque regnum constitutum esset, Juri Justinianeo vis abrogata est sua. Itaque semper in Italia post Justinianum usus Ju-

q.) Libr. XXV. Tit. VII. de Dis- r) In Prolegomen. Cod. Theod.  
tract. Pignor. l. 62. Cap. VII. p. CXCV. sqq.

ris Justiniane permanisit s). Major tamen usus Codicis & Novellarum, quam Pandectarum, fuit, clericis in primis auctoribus, quorum praecipua jura ac priuilegia in Codice & Nouellis continebantur t). Quae cum ita sint, facile est ad existimandum, commissoriam in pignoribus legem in Italia praeferim, ab antiquissimis inde temporibus semper odiosam atque illicitam fuisse, atque igitur Innocentium III. P. R. in epistola decretali, hac de re euulgata u), non tam jus novum introduxisse, quam potius antiquum jus & vfitatum confirmasse & ad facta specialia applicasse. Longobardi deinde haec Juris Romani decreta ad feuda quoque applicarunt, hoc modo, vt, debito sua die non soluto, creditor ne quidem proprietatem rei oppignoratae & dominium directum illius sibi possit habere, tanquam commissum, quamvis debitori dominium utile, sed sub lege fidelitatis, relinquere velit x). Jura nostra patria Germanica quod attinet, commissoriam in pignoribus legem olim apud majores nostros improbatam non fuisse, euincunt mediū aeuī monumenta & exempla ab Joachimo Pottgiesser allata y). Sed, ex quo Jus Romano Justinianum in Germaniae fora introductum, atque in subsidium receptum est, damnauit eam tamen posterior aetas, atque nominatim Recessus Imperii anni 1577. z). Haud equidem ignoro, fuisse, qui commissoriam pignorum legem eo in Recessu non in genere damnari, sed Judaeis tantum interdici putarunt, sed recte jam jam monuit beatus Augustinus de Leyser a) verba dictae legis Imperii: *Wann aber dasselbe den Rechten zu wider* satis indicare, prohibitionem paci commissorii in pignoribus generalem esse, atque eo in Recessu, tituloque citato, qui loquitur:

- |    |   |    |  |
|----|---|----|--|
| s) | <i>Conf. Herm. Conringii Origines Jur. Germ.</i> Cap. 20.   | x) | I. Feudor. XXVII.  |
| t) | <i>Conf. Joann. Aug. Bachii Histor. Jurisprud. Rom. Libr. IV.</i> Cap. III. Sect. I. §. 2. 3. pag. 693. 94. | y) | De Indole & Natura Pignoris Sect. III. Cap. II, §. XXXV. p. 260. 61. |
| u) | <i>Cap. Significante 7. X. de Pignoribus.</i>   | z) | Tit. XX. § 5.  |
|    |   | a) | Meditat. ad Pand. Vol. III. Spec. CLVIII. pag. 167.                  |

quitur: *von Juden vnd ihren Wucher*, ad Judaeos tantum applicari, non exclusis per hoc Christianis. Praeterea non deflunt hodie in Germania Jura Provincialia atque particularia bene multa, quibus lex ista commissoria nominatim & expresse prohibetur, atque in Saxonie v. g. Electorali non tantum olim Augustus Elect. b). verum etiam Joannes Georgius I. c) omnes ejusmodi conuentiones, creditorei inter & debitorum pignoratitium initas severa lege atque simpliciter damna- runt. Ceterum tamen iis in terris, vbi leges Romanae recep- tae non sunt, atque nominatim in Dania, eam legem adhuc hodie valere, me docuit Joann. Nicolaus Hertius d), atque Christianus Gottlieb Riccius V. C. singulari libello examinavit olim *Problema Juris Germanici: Num Pactum Commissorium circa pignora in Germanorum foro rursus sit inuebendum & approbandum?* e).

## §. V.

*Commissoria in pignoribus lex virum per jus jurandum conualefacat?*

Improbatur itaque commissoria pignorum lex tam Jure Romano, quam Jure & vsu fori hodierno, atque improbatur ea, siue ab initio & in continentia siue ex interuallo pignori ad- jiciatur, cum eadem semper adsit iniquitatis ratio, atque Constantinus M. eam in genere damnarit, adeo, ut omnem illius memoriam aboleuerit. Quid autem, si ejusmodi pactio jure- jurando debitoris fuerit firmata? De Jure Ciuiili Romano haec res expedita est & definita, etenim conuentio, quae non ha- bet vim obligandi, non tenet promittentem, etiamsi accesser- rit

b) Vid. Torgauisches Auschrei-

ben de d. 8. May. 1583.

tit. Von Wucher vnd wu- d)

cherlichen Contracten. Cod.

August. T. I. p. 140.

c) Vid. Joann. Georgii I. Man-

dat ann. 1625. d. 28.

April. von wucherl. Contra-

cten. Cod. Aug. Tom. I. pag.

1124.

In Notis ad Sam. de Puffendorf

Jus Nat. & Gent. Libr. V.

Cap. X. §. XIV. not. A. p. 790.

ex Godofred. Majocuii edi-

tione.

Jen. 1743. in 4to.

rit iurandum, ut pote quod semper sequitur naturam atque conditionem negotii f). Ait si ex Juris Pontificii decretis aestimemus hanc quaestione, omnino plurimum ea habere obscuritatis videtur. Etenim Pontifices tradunt: *seruanda esse juramenta omnia, quae salua salute aeterna seruari possunt, & ad seruandum censuris ecclesiasticis jurantes esse adstringendos.* g) Posita autem & admissa hac regula, quaecunque negotia paucata, quamvis penitus per leges ciuiles salutis publicae causa sint improbata, dummodo juris jurandi religione sint corroborata, vel inuita legum ciuilium auctoritate conualescunt. Haec autem Juris pontificii decreta quid tandem ad nos, inquies fortassis, qui, meliora edocti, pontificiorum castra ante saecula deseruimus? Atque ita quidem est, deseruimus pontificiorum castra, sed deseruimus ea tantum in doctrinis, quae pertinent ad cultum diuinum, Juri vero pontificio nuncium neutquam misimus, & quominus hoc fuerit factum, ipsorum iectorum Protestantium effecit quodammodo auctoritas. Retinuit proinde Ius Pontificium apud ipsos etiam Protestantes vim juris auctoritatemque subfidiariam. Inprimis constat, Ictos nostros, paene dixerim omnes, uno veluti ore contendere, Jura Canonico-Pontificia in doctrina de jurejurando, speciatim etiam quoad istam ante traditam regulam, esse recepta, atque eo majori jure recepta, quo certius fit, agi hoc loco de peccato vitando. Ita docent Georg. Adam Struuius h), Benedictus Carpzouius i) Samuel Stryckius k) Conradus Rittershuius l) aliique plures. Quae cum ita sint, Commissoria in pignoribus lex, quamvis eam severa lege damnarint Jura ciuilia Romana & hodierna, dummodo jurejurando sit corroborata, ob Juris Pontificii, de seruando jurejurando

C omni,

- |    |                                      |                                  |
|----|--------------------------------------|----------------------------------|
| f) | I. 5. C. de Legibus.                 | Saxon. Part. II. Const. XII.     |
| g) | Cap. 28. X. de Jurejurand.           | def. 14.                         |
|    | Cap. 2. h. t. in Sext. Cap. 2. de k) | In VI. Modern. Libr. XII.        |
|    | Pact. in Sext.                       | Tit. II. § 18.                   |
| h) | In Exercitat. ad Pand. XVII. 19.     | In Different. Jur. Civil. & Ca-  |
| i) | Ad Constitutiones Elect.             | non. Libr. III. cap. 3. Libr. V. |
|    |                                      | cap. 19.                         |

omni, quod salua salute aeterna seruari potest, decreta, apud ipsos adeo Protestantes vſu fori recepta, omnino vim juris auctoritatemque habere videtur. Atque, vt dicam, quod res est, non desunt inter Protestantes viri, ceteroquin summi atque auctoritatis praeccipuae, qui commissoriā in pignoribus legem jurejurando confirmari contendunt m). Alii, cum Joann. Henrico de Berger n), distinguendo omnem hanc rem expedire volunt, atque ejusmodi jusjurandum seruandum quidem esse ab jurante debitore, ipsum autem pactum commissoriū per tale jusjurandum non confirmari existimant; vi cuius doctrinæ ipse quidem debitor pignoratius ex ejusmodi commissoriō pacto, quod jurejurando confirmauit, obligatur valide, sed, ante diem solutionis si moriatur, heredes illius ex eo non tenentur. Enim vero, ipsam Juris Pontificis regulam: Seruandum esse jusjurandum omne quod salua salute aeterna seruari potest, haud equidem nego, praeterea etiam hoc lubenter concedo; istam regulam apud Protestantes vſu fori esse receptam; Nihilo tamen secius de ea idem dicendum esse existimo, quod veteres Jcti Romani de Regulis Juris Romani tradiderunt. Atque Julius Paullus ad Plautium: *Non ex regula inquit o), jus sumatur, sed ex Jure, quod est, regula fiat.* Non igitur ex regulis jussumendum, id est, promiscue iis ad causarum decisionem inniti, promiscue eas ad jus statuendum usurpare, nullo delectu, non debemus; sed ex Jure, quod est, regula fieri debet, itaque, ad suam quamque juris speciem quaelibet regula restringenda, & si quando quaedam sece offerat in casu proposito, si qua aptari posse videatur & succurrat, illico recurrentum est ad rem subjectam, & ad jus, seu ad eam juris speciem, ex qua & ad quam eam regulam commenti sunt prudentes, nam, simul, pergit Julius Paullus, *vum in aliquo virtuata est, perdit officium suum.* Quae cum ita sint, omnes

m) v. g. Luder Menke in *Synopsi Theor. & Prax. Pand. Libr. XIII. Tit. VII. §. 4.*  
Georg. Beyer in *Delineat. Jur. Ciuil. secund. Ord. Pand. Libr. XIII. Tit. VII. §. 9, 10. & alii.*

n) In Oecon. Jur. Libr. III. Tit. II. §. XVI. not. 2. p. 597.  
o) I. i. D. de R. J. conf. Jacob. Gothofredus de Diuersis Regulis Juris. pag. 9. 10.

omnes eos, qui ob istam ante dictam Juris Pontificii regulam commissoriam in pignoribus legem, jure jurando confirmatam, validam esse in vita ciuili, nisi indistincte, certe ratione debitoris jurantis, contendunt, sub auctoritate Regularum juris perniciose errare existimo, vtpote qui, contra doctrinam Iulii Paulli, ex regula Jus sumunt, non autem ex Jure regulam faciunt. Sed quis tandem, inquies fortassis, istius Juris pontificii regulae verus est sensus, aut quid statuendum de commissoria pignorum lege, jurejurando confirmata? Dicam, quid sentiam, vel potius, quid senserit olim, & qua ratione quaestione hanc controversem composuerit Vir summus, Iustus Henningius Boehmerus p). Nimirum negotia Jure ciuili inualida, sed tamen jurejurando confirmata, cum non vnius omnia ejusdemque sint conditionis, ab b. Boehmero in duas rediguntur classes, atque vel absolute per leges ciuiles sunt prohibita, adeo, ut ne arbitrio agentium quidem relatum, utrum valere debeant nec ne? vel sicutim non valent & improbantur per leges in fauorem agentium, qui tamen huic juri pro se introducto renunciare possunt. Hanc posteriorem classem quod attinet, si ejusmodi negotio accesserit jusjurandum, etiamsi alias & de Jure ciuili nullum sit atque inualidum, tamen vi juris jurandi & ob Juris Pontificii hac in re auctoritatem conualefecit. Ita v. g. pactum futurae hereditatis renunciationis de Jure ciuili inualidum est q) de Jure Canonico tamen atque hodie ejusmodi renunciatio, jurejurando firmata, conualefecit r), porro alienatio fundi dotalis de Jure Ciuii non subsistit, etiamsi vel maxime vxor consentiat s), valet tamen hodie & ex Juris Canonici principiis si accesserit jusjurandum t) & q. f. r. Ast ea negotia quod attinet, quae per leges ciuiles absolute prohibita, quaeque ab libero contrahentium arbitrio non dependent, aut quae tertio praejudicium faciunt,

C 2

- p) In Jure Ecclesiast. Protestant. Tom. I. Libr. II. Tit. XXIV. §. XXIX. sqq. sqq. pag. 1280. iqq. iqq.
- q) l. vlt. C. de Paet.

- r) Cap. 2. de Paet. in Sexto. l. vn. §. 15. & princ. J. Quib. alien. lic.
- s) Cap. 28. X. de Jurejur. cap. 2. Eod. in Sexto.

ciunt, haec inquam, prouti longe lateque probauit b. Boehmerus u), etiamsi accesserit jurandum, non conualescunt. Atque ista in primis negotia, quae simpliciter per leges prohibita sunt, nec in arbitrio pacientium posita, qui tandem per jurandum conualescere possunt? Qui promittit aut facit, quod Jura nostra fieri vetant, in sanctitatem legum publicarum turpiter peccat, jus autem jurandum efficere non potest, vt transgressio legum non sit transgressio legum. Sed commissoria pignorum lex ejusmodi est negotium, quod Jura ciuilia simpliciter damnarunt, atque cuius ipsam adeo memoriam aboleuit Constantinus M. atque igitur per jurandum conualescere nequit non obstante ista Juris Pontificii regula ab initio tradita. Atque, si dicendum, quod res, hanc sententiam, haec tenus traditam, ipse tuerit Innocentius III. P. R. x) prouti non tantum b. Boehmerus probauit y), verum ipse adeo Jacobus Cujacius, qui hac de re ait z). *Itaque non habita ratione passionis hujus, vel jurisjurandi, quo obfirmata est, censet Romanus Pontifex, quandocunque oblata debitori pecunia, etiam longe post diem solutioni dictum, & fructibus pignoris, a creditore perceptis, imputatis in sortem, debitori esse restituenda praedia pignorata.*

## §. VI.

*Vtrum conueniri possit, vt, sua die non soluto debito, creditor sibi habeat pignus justo pretio tunc constituendo?*

Improbatur itaque atque damnatur prorsus Commissoria in pignoribus lex, siue eam aestimemus secundum Juris Romano-Justinianei, siue secundum Juris Canonico-Pontificii, Juris Feudalis Longobardici, aut denique Juris Germanici hodierni decreta, atque improbat ea lex, etiamsi jurejurando fuerit confirmata. Quid autem, si conuenerit creditori cum debitore pignoratio, vt sua die non soluto debito, creditor sibi habeat pignus, sed justo pretio tunc constituendo? Et enim

- u) Loc. cit. ab §. XXIV. ad y) Loc. cit. §. XXV.  
§. XXXII.
- x) Cap. 7. X. de Pignorib. 2) In Recitationib. ad cap. 7. X.  
de Pign. Oper. Tom. III. p. 229.

enim hujusmodi conuentio differt vel maxime ab commissoria pignorum lege, adeo, vt, cadat ea, an recto slet talo, ex his haec tenus expositis Juris decretis dijudicari nequeat a). Est autem ejusmodi conuento nil aliud, nisi pactum de ineunda certo casu creditorem inter & debitorem emtione venditione. Potestne vero debitor rem oppignoratam vendere, eamque creditor i praesertim suo vendere? Vtique potest, non tantum ideo, quia debitor rei suae, quamvis oppignoratae, dominium retinet, verum etiam, quia Jura nostra han̄c ei potestatem expresse concedunt, prouti ex Tryphonio b) discimus, item ex Julio Paullo c) & Vlpiano d) atque hac in re vel maxime inter se inuicem differunt fiducia veterum Romanorum & pignus, quorum utrumque quidem vendi potest ab debitore, sed creditori tamen debitor fiduciā vendere non potest e), vel ideo, quia fiduciae dominus est creditor, pignus autem ei vendere potest, quia creditor illius dominium nondum habet, sed tamen illud mediante emtione venditione consequi potest. Sic itaque valet conuentio, de pignore creditori vendendo, si debitor intra certum tempus non soluat, sed *justo tamen pretio tunc constituendo*. Atque ita olim jam jam hanc rem definit Marcianus, Ictus, Potest, inquiens f) *ita fieri pignoris datio, hypothecae, vt si intra certum tempus non sit soluta pecunia, jure emtoris possideat rem, justo pretio tunc adestimandam, hoc enim casu videatur quodammodo conditionalis esse venditio, & ita Diuus Seuerus & Antoninus rescriperunt.* Ast, quid si conuenierit, vt, cessante in solutione debitore, creditor sibi habeat pignus pro pretio, non tunc demum constituendo, sed potius eo *quod ab initio fuerit constitutum*. Valere ejusmodi conuentionem,

C 3

existi-

- a) Cf. Joann. Henr. de Berger d) l. 7. §. 6. D. de Donat. inter  
Oecon. Jur. Libr. III. Tit. II.  
§. XVI. not. 4. n. 1. pag. 597.
- b) l. 12. pr. D. de Distract. Pign.
- c) l. 20. §. vlt. D. de Pignorat. f) l. 16. §. 9. D. de Pignorib.  
& Hypoth.

existimat Georgius Adam Struuius g) negat contra Ulricus Huberus h), partim, ob damnatam per Constantimum M. commissoriam pignorum legem, partim ob classicum Marciani locum paullo ante adductum. Etenim lex commissoria in pignoribus prohibetur ab Constantino M. ob asperitatem suam, qua creditor debitorem, inopia anhelantem, cogit recipere legem amittendi pignoris, cum nihil ei negare auffit, dum est in pecuniae quaerendae momento. Non autem multum interest, paciscatur, vt pro summa credita pignus amittatur, an pro summa, in quam eo momento consentiat debitor; hic enim eadem facilitate, qua volet, pro pecunia credita rem amittere, consensurus est, vt amittat eam pro summa specialiter exprimenda. Marcianus autem dicto loco expresse; vt, inquit, si intra certum tempus non sit soluta pecunia, jure emtoris possideat rem, justo pretio tunc aestimandam, neutiquam vero, ab initio jana constituto & definito. Sed fortassis ii demum rem acu tetigisse videntur, qui neque Struuii affirmantis, neque Huberi negantis, vnicce tuerunt sententiam, e contrario vero quaestionem haac controuersam eo modo definiunt, quo definiuit eam olim Augustinus de Leyser, qui: ego, inquit i), si premium constitutum tempore initi pacti non fuit infra veram rei aestimationem, subsistere pactum pacto. At si pignus tempore pacti plus valuit, manifesta fraus fit legi 3. C. de Pact. Pignor. talisque conuentio merito infirmatur.

### §. VII.

#### *De Lege Commissoria Emtionis Venditionis, & quid eo nomine continetur?*

Hactenus de Commissoria in pignoribus lege; quibus, quantum hoc loco fieri potuit, expositis, ad alteram hujus dissertationis sectionem progredimur, ad legem, scilicet, commissoriam emtioni venditioni adjectam. Est autem ea pactum, quo

- |    |  |
|----|--|
| g) | In Exercit. ad Pand. Exercit. i) Meditat. ad Pand. Vol. III, Medic. XIX. § 53. |
| h) | In Praelect. ad Pand. Libr. XX, Tit. I. §. 15.                                 |
|    | Coroll. I. pag. 171.   |

quo id agitur emtorem inter & venditorem, vt, si intra certum tempus pretium non soluatur, res sit inemta k). Intra certum, inquam, tempus diemue, atque sic solet plerumque conueniri. Ceterum tamen formula hujus commissoriae non semper, nec necessario adjecto die certo concipitur, imo potius, potest etiam simpliciter, atque hoc veluti modo conueniri, vt, si pretium non soluatur, res sit inempta; item, vt, nisi intra duos menses pretii pars dimidia, & intra alios duos menses reliqua pars pretii dimidia soluatur, res sit inemta. Quin imo, *in commissoriam*, inquit Vlpianus l), *etiam hoc solet conuenire*, vt, *si venditor eundem fundum venderet, quanto minoris vendidirit, id a priore emtore exigat*. Enim vero his Vlpiani verbis continetur quidem commissoria venditio, sed ejusmodi pactum commissiorum, quocum praeterea aliud nouum conjunctum est pactum, vi cuius, si venditor, priore emtione ob non solutum sua die pretium rescissa, eundem fundum vendiderit alii, quanto minoris vendiderit, id a priore emptore exigere potest. Est autem hoc pactum in emtione venditione eodem modo, vt istud antea dictum in pignoribus, *commissorum pactum*, id est, ejusmodi, quod facit rem committi alteri, & desinere ejus esse, cuius fuit antea, etenim in venditionibus facit, existente conditione, vt definat res esse emptoris, in pignoribus autem, vt definat esse debitoris. Ceterum tamen ideo, nolim, existimes, commissoriā venditionem eadem ratione, ac in pignoribus esse prohibitam & damnatam in Jure nostro, prouti, Jura antiquiora quod attinet, Jacobus olim Cujacius tradidit, aut Constantiū M. vii Claudius Salmasius vult, in ista celebri constitutio emtionum venditionum damnasse commissoriam. Vtrunque hunc horum duum virorum celeberrimorum errorem testigi jam jam atque notaui alio hujus libelli loco, nec vacat repetere, quae hac de re diximus supra. Addo potius asperitatem summam captionemque, quae improbandae legi commissoriae in pignoribus ansam dedit, cessare in commissoria venditione. Lex enim commissoria in pignoribus misero debitori

k) l. 2. D. de Lege Commissor. l) 1.4. §. 3. D. Eod.

bitori dominium rei sua pro minima saepe quantitate, atque igitur magno ipsius cum damno, aufert. Ast in emtione venditione commissoria lex domino priori, id est, venditori quodammodo reseruat dominium, idque nullo cum damno emtoris, qui, licet, vi hujus pacti, dominio rei emtae, ob non solutum sua die pretium, excidat, hoc tamen facto ipsum, quod promisit pretium, amplius soluere non tenetur. Est itaque Lex Commisoria emtionum venditionum licitum pactum atque honestum, quod, quantum quidem constat, inde ab antiquissimis temporibus apud Romanos in usu fuit, atque etiam hodie usu fori frequentatur perpetuo & fere quotidiano.

## §. VIII.

*Vtrum emtio venditio sub lege commissoria inita, pura sit, an conditionalis?*

Emtionibus itaque & venditionibus recte bene additur lex vel pactum commissorium, quo ipsius emtionis natura veluti informatur. Etenim ejusmodi conditio si non est adjecta, etiamsi pretium ab emtore sua die non sit solutum, ipsa tamen emtio exinde non statim redditur nulla, neque rei venditae & traditae est repetitio, sed locus tantum est actioni ex vendito ad adimplendum contractum per solutionem pretii m). Ast, lex commisoria emtioni venditioni si fuerit adjecta, atque pretium sua die ab emtore non solutum, vi hujus pacti committitur atque finitur emtio in honorem vendoris & in emtoris poenam. Quae cum ita sint, jure quaeritur meritoque, vtrum commisoria lex emtionem venditionem faciat conditionalem, an vero non obstante ea contractus possit esse purus? Qua de re Vlpianus scribit n). Si fundus commissoria lege venierit, magis est, vt sub conditione resolui emtio, quam sub conditione contrahiri videatur. Atqui sub conditione resolui & contrahi differunt a se inuicem. Sub conditione quando contrahitur venditio, statim ab initio ea est conditionalis; sub conditione vero resoluitur, quae initio pura est, existente

m) I. 14. C. de Rescind. Vendit. n) I. 1. D. de Leg. Commiss.  
I. 12. C. de Rei. Vindicat.

existente conditione autem & ex post facto fit conditionalis. *Magis* itaque est, inquit Vlpianus, ejusmodi commissoria venditio vt sub conditione *resoluti*, quam sub conditione *contrahendi* videatur, id est, nisi aliter expressa fuerit actum, vt pura sit venditio, non conditionalis. Quodsi vero pura est emtio venditio, sub lege quamvis commissoria contracta, nullum est dubium, quin ex ea omne periculum statim sit emtoris o), atque dominium, facta traditione, si vendor verus fuerit dominus, in emtorem transeat, alioquin saltim usucapiendi conditio. Cumque emtor per traditionem rei emtiae dominus sit factus, vel saltim ob bonam fidem justumque titulum loco domini illius possessor, consequens est, vt, pendente conditione, tanquam dominus fructus omnes, naturales, industriaes, ciuiles, percipiendo suos faciat p). Atque haec omnia ita, vti dixi, se habent ideo, quia emtio venditio sub lege commissoria contracta, pura est, non obstante commissoria conditione emtioni adjecta. Ceterum tamen nulla juris ratio impedit, quo minus lex commissoria conditionalem quoque possit facere venditionem; sed qui hoc agunt, vt verbis claris & expressis, quidquid agunt, circumscribant atque definiant, necesse habent; hoc enim nisi fuerit factum, magis est, vt sub conditione resoluti emtio, quam sub conditione contrahendi videatur, ait, vti diximus, Vlpianus.

## §. VIII.

*Quis sit exitus commissoriae venditionis? ostenditur.*

Expensis plerisque omnibus, quae pertinent ad declarandam formam rationemque commissoriae venditionis, age, nunc illius exitum consideremus & effectus, quos omnes ipsa definitionis verba haec, vt pretio sua die non soluto res fit inemta, indicant quidem, sed strictim tamen. Vix autem opus est, dici, quod liquet per se, commissoriae nempe venditionum legis effectus se exferre non posse, nisi conditione vere existente, id est, nisi emtore debitore in solutione pretii cessante. Non prius autem dici potest, emtorem in solutione cessare, nisi tempus, quod adiectum est, omne sit preterlat-

D<sup>r</sup> psum  
o) l. 2. D. Eod. p) l. 4. §. r. l. s. D. Eod.

plum prorsus. Quodsi igitur emtorem inter & venditorem conuenerit: ut, nisi in diebus triginta pretium esset solutum, inemtus esset fundus, non prius emtor in solutione cessare, aut, quae adjecta est, conditio existere dici potest, nisi praeterlapsis prorsus diebus istis triginta in conuentione praefinitis. Sed hic eleganter querit Marcellus q), hodieque, nam res vsuma habet, quaeri potest: an dies intercalaris augeat ejusmodi in conuentione istorum triginta dierum numerum? Quodsi naturam temporis atque diei spectemus, dies intercalaris aequae dies est, ac ceteri. Sed in Jure tamen nostro propter intercalationem pro die non habetur, seu potius biduum istud, quod in Bissexto est, cenfetur pro vno die, quemadmodum Celsus nos docet r). Quapropter in nundinis, mensibus, annis, quorum tempus ciuile est, dies intercalaris numerum dierum non augeat, nec actio, cui annus Jure ciuili praescriptus est, eo anno, quo intercalatur, extincta erit prius die Kalend. Januarii sed ipsis potius Kalendis. Ciuititer itaque dies intercalaris numerum non augeat; naturaliter, ut intercedit, ita augeat: quare si quis dicat, intra dies decem, viginti, triginta & s. p. in numerum quoque intercalaris computabitur, quoniam verum est, qui ita dixit, respexisse ad computationem dierum naturalem, non ciuilem. Atque ita etiam Marcellus quaestionem hanc, num in lege commissoria dies intercalaris numerum dierum augeat, aut, vrum intercalaris emtori proficiat? definiuit atque composituit. Etenim, mihi, inquit, contra videtur, nisi tamen, quod vtique excipiendum videtur, pacientes exprefſe significauerint, fe his, quos praescripferunt, diebus intellexisse tempus legitimum, non naturale, ut si dixerint, intra triginta dies, id est, mensēm, tunc enim intercalaris dies proficiat emtori, & non computabitur, prout Cornelius van Bynkershoeck monuit atque probauit s). Sed non necessario, neque etiam semper adjecto die certo formulam hujus commissoriae concipi, suo iam jam loco dixi, atque insimul monui, etiam simpliciter, atque hoc veluti modo posse

q) I. 2. D. de Divers. tempor.  
praescript. Conf. Cornel. van  
Bynkershoeck Obseruat. Libr.

IV. cap. VIII.  
r) I. 98. pr. D. de V. S.  
loc. cit. Libr. IV. Cap. VIII.

posse conueniri: ut, cessante in solutione emtore, res sit in-  
emta. Hoc autem si fuerit factum, quo tandem tempore  
conditio existere, aut quando dici potest emtor in solutione  
cessare? Non prius, nisi postquam emtor in mora fuerit con-  
stitutus, postquam commiserit moram. Est autem mora inju-  
sta cessatio ejus, qui, jure interpellatus, non soluit debitum.  
Etenim, vt mora sit, non sufficit, peti quid posse, & non sol-  
ui; sic enim debitor non impingit in jus obligationis, qua non  
actum est, vt debitori necessitas sit, vltro soluendi, sed vt cre-  
ditoris arbitrium sit, quando petat; mora vt sit, necesse est,  
cum jure petitum est, sine causa non esse solutum. Nam cum  
de mora disputamus, non queritur, quae sit potestas verbi,  
sed quae sit mora, jure judicioque emendanda ideo, quia in-  
juria nocuit. Haec vero est mora personae, quae, jure inter-  
pellata, sine causa cessat, quod debet, facere t). Ut ita-  
que, si quando nullus commissoriae adjectus fit solutionis dies  
certus, qui, si adsit, interpellat pro homine u), conditio  
existere possit, emtor, necesse est, vt committat moram, id  
est, vt, interpellatus quamvis ab venditore, nihilo tamen se-  
cuius sine causa cesset in solutione x). Sed sine causa, in-  
quam. Etenim emtor, qui paratus est exsoluere omnem pe-  
cuniam reliquam, sed, quominus id fiat, ex causa justa vel  
impeditur vel prohibetur, non impingit in jus obligationis,  
nec in mora est, atque igitur in legem venditionis commissio-  
ne dici non potest y). Quid autem si pars pretii, tertia v. g.  
vel dimidia, jam sit soluta ab emtore, atque igitur non nisi pars  
aliqua pretii, fortassis minima, reliqua sit, quid, si cesset emtor  
in solutione hujus partis, vtrum ejusmodi cessatio potest effi-  
cere, vt existat conditio, aut, vt dici possit, commissio em-  
torem in legem venditionis? Vtique efficere potest. Quod si  
itaque conuenerit emtorem inter & venditorem, vt, nisi intra  
duos menses pars pretii dimidia, & intra alios duos menses reli-

D 2

qua

t) Cf. Gerard Noodt de Foen-  
re & Vsuri Libr. III. Cap. IX.  
Oper. T. I. p. 216.

u) l. 12. C. de Contrahend. Sti-  
pulat.

x) l. 32. pr. D. de Vsuri. l. 23. D.  
de O. & A cf. Jacob. Cujacium  
ad Africanum VII.

y) l. vlt. D. de Lege Commissor.

qua pars pretii dimidia soluatur, res sit inepta; etiamsi emitor priorem sua die soluerit dimidiā, si tamen cessat in solutione dimidiae reliquae, non committit tantum in legem venditionis, verum etiam perdit, quam numeravit jam, pretii partem dimidiā, z) prouti videbimus infra. Arque sic intelligimus, spero, vim omnem potestatemque verborum venditionis commissoriae: si pretium sua die non sit solutum. Quodsi vero haec conditio existat vere, quid tum? Res est inepta, ait conuentio vel lex commissoria, id est, ipsa emtio venditio nulla est atque inualida. Non tamen necessario & absolute, nam vendor, si velit, hoc suo jure & commodo vti potest, si nolit, non cogitur, a) cuius rei Pomponius hanc duplēcē reddit rationē, b) nimirū: *quia id venditoris causa caueretur, & deinde alteram: si aliter acciperetur, exusta villa, in potestate emtoris futurum, ut non dando pecuniam inemtum faceret fundum, qui ejus periculo fuisset.* Vendor itaque statim atque commissa lex est, statuere debet & declarare, vtrum commissoriam velit exercere, an potius pretium petere. Quoniam vero, quod ab initio est voluntatis, ex post facto fit necessitatis, vendor variare non potest, atque v. g. commissoriae legi si renunciavit palam, aut, quod idem est, tacite, petendo pretium, ad commissoriam deinde amplius redire non potest, prouti nos docent Papinianus c). atque Hermogenianus d).

## §. X.

*Qua actione vendor jus suum exequi possit? ostenditur.*

Quodsi igitur vendor, existente conditione, jure suo vti se velle, declarauit, emtor autem, resoluta culpa sua emtione venditione, rem emtiam & traditam reddere nolit; qua tandem actione vendor jus suum exequi potest? Explorati Juris est, cuius veritatem vix ipse Carneades infringere potest, pacta, bonae fidei contractibus in continentia, id est, statim, calente veluti negotio, & priusquam ad alia partes diuertant, adjecta inesse

- z) l. 4. §. 1. D. Eodem.  
 a) l. 3. D. Eod.  
 b) l. 2. D. Eod.

- c) l. 4. §. 2. D. Eod.  
 d) l. 7. D. Eod.

in esse contractibus, id est, iis contineri seu misceri, adeo, ut eorum veluti constituant partem, & eodem, quo ipsi, aestimantur jure, & actiones ex iis descendentes informent ad aliud modum, quam se haberent, si pacta ista non essent adjecta. e). Itaque ipsi adeo veteres Romani ex pacto bonaे fidei contractui in continentи adjecto dabant actionem, & eandem quidem, quam producebat ipse contractus, cui erant adjecta, ut igitur hac actione agi possit ad seruandum contractum, atque singulas illius partes, proinde etiam ad seruandum pactum contractui in continentи adjectum, utpote quod ei ineſt, & pro eius parte habetur. Quae cum ita sint, si quando emtione venditioni pactum commissorium in continentи fuerit adjectum, si pretium ab emtore sua die non fuerit solutum, atque venditor jure suo vti velit, conuenienter potest emtorem actione ex vendito. Atque ita etiam Vlpianus, qui: *ex vendito actionem competere*, ait f) sed additis simul atque praemissis his verbis: *jam decisа quaeficio est*. Haec autem cui bono? ideo scilicet: Proculianos inter atque Sabinianos olim in eo erat controversia, vtrum, emtione venditione sub lege commissoria, aut etiam addictionis in diem, inita, existente conditione ad repetendam rem venditam actio venditi adhibenda sit, an vero actio in factum prae scriptis verbis. (t.) Sabiniani actionem ex ipso contractu emtione descendenterem competere existimabant, g) ob rationes fortassis paullo ante adductas. Negabant contra Labeo, h) atque Proculus, i) quoniam, quae ex contractu descendunt actiones, ad adstringendum eum sint inuentae, nec proinde, finito eo, obtinere queant. Itaque malebant dare actionem prae scriptis verbis, solitam obtinere, quories alii actioni certae locus non est. Ceterum quoad hanc controversiam: *Verissima*, inquit Gerardus Noodt, k) *fuit Sabini sententia, et si Proculi, tanquam tunc tior,*

D 3

e) l. 7. §. 5. D. de Pact.

11. §. b. D. de Action. Emt.

f) l. 4. pr. D. de Lege Commis.

Vendit:

(t.) Cf. Godofred. *Mafconius de*

h) l. 50. D. de Contrahend:

Sect. Sabinian. &amp; Proculian:

Emt: Vend:

Cap. IX. §. XI. pag. 190. 91.

i) l. 12. D. de Praescript: Verb:

g) l. 6. D. de Refind: Vendit: l.

k) de Pact. &amp; Transactionib:

tior, vſu magis obtineret, donec Sabini quoque sententiam reſcripto ſuo probarunt Impp, Seuerus & Antoninus. l). Ita vero factum fuit, vt tandem vtraque reciperetur sententia, tum Sabini, tum Proculi teste Julio Paulo m) & Alexandro Imp. n). Eſt autem in Jure Romano actio praefcriptis verbis, vel, quod idem eſt, in factum, quae non habet certam formulam ac ſolemnam, vt illae ex certo & nominato contractu deſcendentes, ſed quae magis rem geſtam verbis demonstrat, atque cauſam ſuam & originem a contractibus habet innominatis, in quibus Jure ciuili non erat prodita actio certa & nominata, cum tamen iuſum eſſet, aliquam recipi. Sed, vt fit, poſtea latius porrexta eſt ejus utilitas, prorsus, vt ſiue nulla, ſiue aliqua eſſet actio, ſed de qua dubitaretur, ejus incerti uitandi gratia tutius ageretur praefcriptis verbis, ſiue in factum actione o). Sed vtraeque tamen hae actiones non niſi in personam ſunt, quibus proinde venditor aduersus emtorem tantum agere potest, nequaquam vero, ſi forſitan emtor deſtituſi possidere, aduersus tertium quoque poffefforem. In Jure igitur noſtro num quae realis prodita eſt actio, qua experiri poterit venditor? num ei forſitan rei vindicatio dabitur, qua iuſ ſuum exequi poterit? Rei vindicatio, id quod inter omnes conſtat, vni datur domino, alii non datur. Itaque, quis fit dominus rei, de qua controuertitur, quid actum fit emtorem inter & venditorem, disquirendum eſt, non enim vno modo concipitur lex commiſſoria. Nempe verba, quibus lex commiſſoria emtioni venditioni adjicitur, vel directa ſunt, & in personam venditoris concepta v. g. res fit inemta, venditori liceat rem vindicare, rem ſuam recipere & q. f. r. atque tunc, quamuis res emta ab initio tradita fit emtori, nihil tamen feciſus, exiſtente conditione, dominium ultro ad venditorem pertinet, fictione juris, ac ſi venditio nunquam contracta fuifet, & dominium rei ſine cauſa traditae a venditore nunquam abiiffet;

qua-

Cap. XI. Oper. Tom. I. pag. n) 1. 2. G. de Paſt: inter emtor:  
344. & vendit:

l) 1. 4. pr. D. de Lege Commiſſ.

m) 1. 6. D. de Reſciind: Vendit:

o) 1. 1. 1. 2. 1. 3. D. de Prae-  
ſcript: Verb:

quare venditori non in personam tantum actio, sed in rem quoque danda est, atque ipsa adeo rei vindicatio; p) vel pacientes ejusmodi vsl sunt verbis, quae *indirecta sunt & obliqua*, quae factum emtoris involunt & in illius personam concepta sunt v. g. vt, nisi pretium intra certum tempus sit solutum, res emta restituueretur, reuerteretur. Atque tunc venditor, nisi forsitan precariam tantum possessionem tradidit, non habet rei vindicationem, sed actionem tantum personalem v. c. ex vendito, q) quia per traditionem dominium pure transtulit, & pactus est, vt ad se, commissa lege, reuerteretur; quod sine traditione ex pacto tali fieri non potest, dominia namque jure civili non pactis, sed traditionibus transferuntur. Sed satis de actionibus ipsis, quibus venditor, existente conditione, jus suum persequi potest. Restat vt, ad quid his actionibus agi possit ab venditore, paucis adhuc ostendamus. Petit autem venditor auctor, vt reus emtor condemnetur atque cogatur restituere rem ipsam cum fructibus, atque resarcire damna in re vendita data. r) Quid autem, si emtor arrham dederit aut pretii promissi partem aliquam, num potest repeterre arrham, aut partem pretii jam solutam? Non potest, sed perdit vtrumque, s) quo tamen casu emtor fructus, quos percepit, lucratur, atque hoc, Vlpianus ait: t) esse humanitatis. Atque haec arrhae datae pretiique soluti amissio nonnullis quidem hodie admodum dura esse videtur, sed ea est, inquit Luder Menkenius u) fidei violatae poena, a Germanorum tenacitate in fide tuenda haud quamquam aliena, ac proinde moribus universibus non abrogata. Ceterum haec omnia hactenus tradita, inquiries foras illis, recte bene se habent, si commissoria lex emtioni in continentu fuerit adjecta, ast, si ex interuallo fuerit adiecta, non ineft contractui, neque parit aut informat actionem, quippe cum

- P) l. vlt. D. de Lege Commissor:  
 q) l. 4. pr. D. Eod, cf. Gerard Noodt Comment: ad Pand. Lib. XVIII. Tit. III. Oper. T. II. p. 314. Joan Henr. de Berger Oeconom. Jur. Libr. III. Tit. V. §. VII. n. I.

- pag. 650.  
 r) l. 4. pr. h. §. D. Eod.  
 s) l. 6. pr. D. Eod.  
 t) l. 4. §. i. D. Eod.  
 u) In Synopsi Theor. & Prax. Pandat. Libr. XVIII. Tit. III. §. V. pag. 414.

cum non det contractui legem, ergo nudum est pactum, quod non censetur contractus parte aut jure. Atque ita quidem est secundum Jura ciuilia Romana, ast nostris temporibus quaelibet pacta animo deliberato inita validam producunt obligationem & actionem, ergo etiam pacta ex interuallo contractui adjecta. x)

§. XI.  
Conclusio.

Expositis plerisque omnibus ad intellectum commissoriae emtionum venditionum legis pertinentibus, reliquum esse videtur, hic subjungere, commissoriam hanc plerumque quidem, sed tamen non necessario semper & absolute in honorem venditoris atque in poenam emtoris concipi, ino potius, eodem jure, quo conueniunt inter se emtor & venditor, vt, sua die non soluto *recio*, res sit inemta, vice versa conueniri quoque potest, emtoris in honorem & in poenam venditoris, vt, *merce* sua die non exhibita, emtio sit nulla. Sed non adeo frequens in vita ciuili est ejusmodi emtio commissoria, eamque ob causam Jura nostra illius nullam in specie faciunt mentionem. Nam, quae semel aut bis existunt, inquit Julius Paullus y) ea praetererunt legislatores. Praeterea explorati juris est, locationem conductionem proximam esse emtioni & venditioni, iisdemque constare juris regulis, z) atque sicuti emtionem, ita & locationem sub conditione fieri posse. a) Vix itaque opus est, addi, locationem quoque conductionem sub lege commissoria posse iniri. Quin ino, cum Jura nostra, non, nisi in pignore damnarint proflus commissoriam legem, praeter emtionem, & locationem ejusmodi pactum aliis quoque contractibus, v. c. permutationi, contractui aestimatorio potest adjici, prouti recte dixit atque probauit olim Samuel Stryckius. b) Hoc autem si fuerit factum, vis omnis atque potestas ejusmodi commissoriae iisdem ex principiis dijudicanda, quae haec tenus de commissoria emtionum venditionum lege tradidimus & explauimus.

x) Conf. Luder. Menken loc. 2) l. 2. D. Locat. Cond.

cit. Libr. II. Tit. XIV. §. VI. a) l. 20. pr. D. Eod.

& IX. pag. 82. 84.

b) In Vsù Moderno Tom. II.

y) l. 6. D. de Legibus, item l. 3.

Libr. XVIII. Tit. III. §. X.

l. 4. l. 5. D. Eod.

p. 357. 58.



DISSSERTATIONIS DEFENSORI  
DOCTISSIMO & POLITISSIMO

S. P. D.

PRAESES.

*Et si unus ex omnibus minime sum accommodatus  
ad benevolentiam aliorum blanditiis & assentati-  
onibus colligendam, quoniam intelligo, pessimum  
eas veri affectus esse venenum; insimul tamen hoc  
etiam scio, justas cui debitasque denegare laudes,  
admodum esse incivile & injustum. Fraudarem au-  
tem Te debita laude, Respondens doctissime, nisi pu-  
blice profiterer, me omnia ea, quae in iis, qui litteris  
se consecrarunt, vehementer optare soleo, ingeni-  
um, scilicet, docile, doctrinae studium egregium,  
humaniorumque litterarum scientiam non vulga-  
rem, in Te ab eo statim tempore, quo in discipli-  
nam nostram venisti, luculenter cognouisse & per-  
spexisse. Quam laudabiliter autem hucusque tem-  
pus omne in litteris consumseris, ejus rei publi-  
cum edere constituisti documentum, eumque in fi-*

E

nem

\* \* \*

nem hujus Dissertationis defensionem in Te suscepisti, me autem, non modo comitem, qui interessem, sed etiam, qui praefensem laudi Tuae, ducem esse voluisti. Ita autem Te in Athenaeo nostro semper comparasti, ut non sine summa laude eam sis defensurus, nec, sat scio, usura falsi gaudii fruor. Gratulor itaque Tibi egregium hoc eruditioonis Tuae specimen, cupioque quam maxime, ut aliquando praemia virtutis uberrima percipias.  
*Vale.*




VD  
18

ULB Halle  
002 713 802



3

SL,



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red


Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13



EXERCITATIO JVRIS

DE

LEGE COMMISSORIA

PRAESIDE

MARTINO GOTTLIEB PAVLI

J. V. D. JVR. ET HIST. PROF. PVBL. ORD.

ET ATHEN. INSPECT.

DIE X. MART. A.R.S. MDCCLXIII.

IN AVDITORIO MAXIMO

AD DISCEPTANDVM PROPOSITA

AB

CHRISTIANO ZWANTZIGER, HVNGAR.

L. L. C. ET ALVMNO FISCHERO-FERBERIANO

ATQVE VOEGEDINGIANO.

GEDANI

TYPIS THOMAE JOANNIS SCHREIBERI,  
SENATVS ET ACADEM. GYMNASII  
TYPOGRAPHI.